

xima: Sola incredulitas damnat: allatrant illam Pontificii, sed nihil obtinent: quia incredulitas non consideratur à nobis in praedicatione qualitatis aut quantitatis, sed relationis, hoc est, quatenus Christum mediatorem repudiat, Spiritui Sancto per verbum & Sacramenta operanti obicem objicit; adeoque non damnat, ut causa efficiens & alia mala opera, quae omnia damnationem merentur, sed ut causa quasi formalis Christum repudiando & repellendo. Itaque sicut sola fides Iustificat, ita sola incredulitas damnat, ex Iohann. 3. vers. 8. & 16. vers. 9.

Locus Quartus.

§. 20. De DEI prospectione de Cælo: prospicit vel ut misereatur vel ut puniat: illud apud penitentes, hoc apud eos qui in peccatis perseverant: prospicit in genere ad omnes pios, & impios, prospicit in specie super utrosque: illos visitando in gratia non gaudens de suo lucro sed de ipsorum salute; hos visitando in ira, nec tristatur de sua injuria, sed istorum perditione; utrobique oculus ejus est acutissimus, directus & in facta & cogitata nostra: ὄξυς θεῶν ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πᾶν & ὁπῶν dicebat Græcus Poeta Menander: Ille absconditum nostrum ponit in illuminationem vultus sui, totus oculus est, quia omnia videt, ait Augustinus super Psalm. 126. Ergo age

*Improbe, mortales quamvis tua crimina cæles
Fallere cælestem non potes ipse Deum.*

Quò ibis à Spiritu ejus, & quo à facie ejus fugies? Psalm. 138. v. 7. Terror igitur sit improbis & vox Tonitralis: Dominus prospexit: Error sit Diabolo & juratis, qui pro libitu suo se viunt, & quod libet sibi licere putant: Nam Dominus prospexit: Consolatio etiam sit piis & miserè afflictis, qui putant à DEO se esse derelictos: Nam Dominus prospexit, & certè de cælo, de throno Majestatis